



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Luculentâ talione punita adultera calumniatrix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Quid multa dispero? iustissima talionis poenâ, mendacia à mendacijs, & ficti amici à fictis amicis puniuntur; infidiâque infidijs compensantur; & qui, ad modum Præfecti regij, vt occideret, mentitus est, meritò ipse mendacijs decipitur, vt occidatur.

Ne quis autem existimet, Principes, aut Reges ista talia pati tantùm, non etiam agere, Albertum Cranzium adeat, apud quem inueniet, An. Christi 998. Othonem III. Imp. Roman. profectum, quo in itinere, iuxta Mutinam in villa Amula dicta diuertit. Ibi ea acciderunt, quæ magna admiratione digna metro scripsit Gotefridus Viterbiensis. Augusta vxor illius, Maria nomine, Regis Aragonum filia eodem hospitio vsa, hospite quoq; abuti voluit. Nam loci dominus erat Comes, vir integerrimus, æquè formâ ac genere & opibus præstans. In hunc procax femina, Imperatrix oculos coniecit. Oculos secuta est cupiditas: hanc impudentia, qua præualefcence, non verita est ab eo crimen petere. Horruiet Comes iniquam petitionem, & fortiter reiecit, nomen sæculi illius Iosephus. Sed & illa Putipharis vxori libidine par, eandem contempta, furore quoque est imitata. Siquidem repulsam passa, atque amore in odium verso atrocem calumniam vertit in innocentem, eumque apud Imperatorem accusauit, quasi pudicitiam suam perentasset. Nimirum credulus est zelus maritalis, ea de causa & Otho vxoris calumnia fidem adhibuit, atq; subito calore abreptus Comitem extemplo capite plecti iussit. Quod vbi ad coniugem Comitis fuit perlatum, dolore amens cucurrit, & sublatum de terra mariti caput, ingenti audacta, (quam pudoris ac timoris nescius furor ministravit) ante Othonem pro tribunali sedentem in medium proiecit, incredibili vociferatione, viri sui innocentiam protestans, & immeritæ necis illatæ vindictam expetens: neque alium iudicem, neque reum in terris querens, quàm Imperatorem ipsum, tunc iura reddentem, & iniuriam innocentissimo sanguini facientem. Et quia alij testes deerant, ad naturam atque elementum prouocauit, contrectationem ferri candentis in probationem, & veritatis indicem offerens. Non potuit Imperator contra eiusmodi testem excipere. Parantur omnia, ferrum ignitur. confluunt spectatores, sedet Otho, & vult in muliere Scæuolam spectare. Mulier innocentiæ

V.

Albertus  
Cranz. in Sa-  
xon. lib. 4.  
cap. 24 Siffi.  
presbyter in  
Epitome Ba-  
ron. tom 10.  
Anno 998.

tiæ

tia mariti interfecti conscia, metallum candens ambabus manibus arripit, atque illaesa non secus ac vernos flores contrectat, quo solum prodigio attoniti Imperatoris praecordia exurebantur. Exultat primum ipsa victrix. Mussant deinde, capitibus inter se collatis, qui ad spectandum confluxerant. Palam tandem ab omnibus mulieri tam heroicæ acclamatur: quæ tum miraculo, tum applausu animata, postulat à gladio Imperatoris, talionis vindictam in ipsum Imperatorem. O quàm alia tunc fuerunt sæcula! nunc mille prætexus excogitentur ad Principem, in huiusmodi errore, excusandum. Otho clara veritate convictus, & culpam agnovit, & reum se fassus poenam non detrectavit; iugulumque pro iugulo spondit, solis inducijs, ad negotia quædam expedienda, postulatis. Mirus iustitiæ amor. pro morte innocenti illata, vult mortem oppetere Imperator; & vidua Comitissæ audet eam urgere! Sed non permittunt id aulae Proceres; circumstant feminam, & pro vita Imperatoris rogant; neque eam multis precibus exorant, fuitque frustra diu laboratum; donec tandem iudicium ea est conditione transactum, ut, quæ prima sceleris causa fuerat, Maria Regis filia, Imperatoris vxor, Augusta illa, & adultera, & calumniatrix, rogo adiudicaretur. Fuit & hoc arduum Othoni, sed fecit. Arsit igitur infelicibus flammis Imperatrix, quæ illicito atque impuro igne accensa ita exarsit, ut quem ad facinus inducere non poterat, per calumniam, in interitum nefariè præcipitaret; sed exitio alterius in exitium ipsa incurrit, atque in fumum abiit libidinosa, & calumniosa maiestas. Quo facto suam vitam redemit Imperator, & viduam tribus castris donatam, ut contenta abiret, rogavit.

## VI.

Talionem vides? immò vides æquitatem? Sed Viduæ audaciam miraris? *Patas, neminem debere cogi ad iustitiam? cùm legas patrem familias dixisse servis: Quoscumq; inueneritis, cogite intrare?*

*Idem ep. 144.* Miraris patientiam Imperatoris? *Iustitia verò sic amanda est, ut ab eius operibus etiam poena corporis nos cohibere non debeant, &c. Hinc est, quod ille fortissimus iustitiæ dilector exclamat: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* ait S. Augustinus. Et cogi igitur, appellatione illa, immò prodigio illo ad iustitiam potuit Impera-

Rom. 8.